...ertus.

...: Oratio ad iusta exequiarum dum Adalberti Serebryski P.C. piis manibus nobilis et studiosa Juventus Acad. Crac. in Oratorio pietatis parentaret – habita 1650.

ORATIO
AD
Iusta Exsequiarum,
DVM
Perillustr. & Adm. Rndi. olim Dni.
ADALBERTI SEREBRYSKI
CANONICI CRACOVIENSIS, &c.
S. M. R. Secretarij,
Pijs Manibus,
Nobilis & studiosa Iuuentus Academiæ Cracouiensis, in Oratorio pietatis parentaret.
A
PETRO BARSZCZ Art: & Philosophiæ Baccalaureo
HABITA.
Anno reparatæ Salutis humanæ 1650.
Idib. Ianuarij.

CRACOVIÆ,
Apud LVCAM KVPISZ S. R. M. Typograph.

Quod interim morimur, ad immortalitatem morte transgredimur: nec potest vita æterna succedere, nisi hinc contigerit exire: non est exitus sed transitus, & temporali itinere decurso, ad æterna transgressus.

S. Cypr. serm. 4. de mortalitate.

Non enim mors est felicium acerbissima, verùm beatissima: quæ res virorum lætas securo loco deposuit, & fortunæ declinauit conuersionem.

Æsopus apud Plut. in vita Pelopidæ.

VTinam A. H. optatam illam diem videremus, quâ Perilluſtri & Admodum Reuerendo Domino ALBERTO SEREBRYSKI, Canonico Cracouienſi, Ampliſſimo Mæcenati loci huius, hoc ipſo in loco debitas grates, læti viuo funderemus; quàm mortuum mæſti, pijs lachrymis proſequeremur. Ita quippè ille, cùm vniuerſis locis, Diuino cultui conſecratis addictus, tùm huic pietatis Oratorio (in quo Nobilis Iuuentus Polona DEVM exorandi, & ſaluti ſuæ conſulendi optimum addiſcit modum) deuotus vixit; vt non mortalem eum, verùm perēnem viuere cuperemus. Eheu mortis acerbitatem! ſiccine te, nec illius ſuauitas morum flexit, nec prudentia auertit, nec pietas domuit, nec conſtantia & aſſiduitas in bonis actionibus terruit? Sed quàm fruſtra hanc appello! caret nimirùm ſenſu, querelas, preces, vota non curat: ſuſpiria, gemitus, lamenta, blanditias non diſcernit. Quamobrem vt cæcam, quid ni talem dicam? quæ infantes æquè vt adultos, iuuenes cum decrepitis, calamitoſos cum felicibus, pauperes cum diuitibus, imbelles cum fortibus demetit:

Nec magis humano vultu, ſermone mouetur
Quàm ſi dura ſilex aut ſtet Marpeſia cautes:

O verè cæca & sine sensu! illam itaq; non ego hîc querar: enimuerò quòd potiùs profuerit Mæcenati nostro, cui luce hodiernâ mæsti parentamus, quàm nocuerit, dum eum ex hac vita sustulerit, innuam. Vos modo oro & obtestor: A. H. vt dum mea pietas, dicendi periculum subitâ dictione facit, vestra humanitas & beneuolentia illi optato fauore suffragari velit.

Et mitto quantæ commoditatis fuerit, morte Mæcenatem nostrum è solicitudine, in lætitiam euocatum; è perpetuo metu, in vicissitudinis expertem securitatem vindicatum; è miserijs in beatitatem translatum esse: nihil dico morte eum sensus doloris finiuisse: querelas, omneq; necessitatis genus, quo superstites assiduò premimur, proscripsisse: verùm quoniam illum mors Domino reddidit, quem ille, teneris ab annis, mente, corde, actionibusq; coluit; illi Domino, quem priuatìm & publicè, verbis, vitâ, moribus, veneratus est; certè fateamur, non formidabilem, sed optatam, nec grauem, at naturæ debitam, neq; amaram, sed iucundam ei mortem extitisse. Nimirùm summum bonum nostrum est, cui hâc miserâ defuncti vitâ restituimur: vnicus ille est, à quo vitam, illam vitam, quam caducis expertem, & plenam perennitate profitemur esse, possidemus. At enim hoc tanto quamprimùm frui bono, & ipsius affluere delitijs, quàm optabile? vos cœli sedes beata-

rum mentium! vos beatissimæ Animæ appello! Micam tantæ felicitatis Princeps Ecclesiæ vt conspexit, suspexit: & immemor conditionis, immemor mortalitatis exuuiarum, illic viuere exoptauit. Eleuatus cœlestis doctrinæ acerrimus propagator, & propugnator in æthera, quid mortalibus retulit? animis concipere beatorum fortunam cupimus? frustra id nitimur: dignitatem eorum explicari verbis desideramus? ô iustum votum! at nemini hominum, nemini Diuorum concessum. Te, Te inquam dignissime Mæcenas, (quem modo iustis prosequimur suspirijs) appello! an non vides? an non sentis? illam bonorum expetitam copiam, quàm hîc corde colligebas: illam amænitatem, quam tacito cœlestis gratiæ afflatus fauore præsentiebas. Atq; Epicureos hîc non moror: cereos in vitia, neq; culpâ libero, nec à pœna absoluo. Ita scilicet fit, improbis non est difficilis ad infernos via, nec tortuosa, nec vllis erroribus plena, sed est rectissima, decliuis tota, & vel à cæcis conficitur. Hanc quisquis ingreditur, quid illo calamitosius? quid infelicius? quid vel ipsâ memoriâ horribilius? Vbi auditus terror, odoratus fætor, amaritudo gustus, visus spectra: vbi sensus dolor, locus carcer, amici vermes: vbi contubernales hostes, vox execratio, sonus dentium stridor. O deplorandum impiorum statum! ô miseram, ah miseram æternitatis, inter supplicia, inter flagella, inter exquisitissima

ſitiſſima cruciatuum genera conditionem! Verum- enimuerò qui ſe integros & caſtos ſeruauerit, quibus minima cum corporibus contagio fuerit, qui in hac vita periculoſæ plena aleæ, illam, horum malorum neſciam, pro virili parte expreſſerint, vitam, quid de illis putemus? *Ad hunc à quo huc profectos ſe meminerunt viuentes, mortuis facilis reditus:* Tullius affirmat. *Virtute præditum migrare in cælum perpetuò durans:* Cointh: Smyrnæus prædicat. *Iuſtus ſi morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit: qui mortui ſunt cum Chriſto ſimul etiam viuent cum illo: qui credit in me etiāſi mortuus fuerit viuet:* illud Sapiens, hoc Doctor gentiū, iſtud orbis Conditor & reparator Chriſtus aſ- ſeuerat. Fortunatum ſanè Mæcenatem noſtrum, qui tam ſalutaribus conſilijs & libenter, & frequenter, & conſtanter paruerit! Adhucné redditum illius laboribus præmium? illius contentioni, pro gloria cœleſtium, pro integritate proximi, pro ſua ſalute, brauium reſtitutum ambigemus? Scilicet hic vir fuit, in cuius ingenio nulla calliditatis ſuſpicio deprehendebatur: cuius prudens conſilium, nulli damnum, multis vtilitatem, nulli confuſionem, omnibus animi integritatem conciliauit. Meminerat dictorum Poëtæ

Prima mihi debes animi bona ſanctus haberi
Iuſtitiæq́ tenax verbis factiſq́ merere.

Ad ſe illud pertinere putabat:

Viue memor lethi, fugit hora, hoc quod loquor inde eſt.

Percelle-

Percellebat ſenſus, animumq́; ſuum integritatis ſtudium, Diui Cypriani effatum : *Non dignus eſt in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitauit moriturum.* Cedat quapropter hinc Zaleucus cum ſua diſciplina: *Singulis oportet in ſingulis actionibus, illud tempus quod vnicuiq́ finis vitæ futurum eſt, adeò ſuis cogitationibus familiare facere: ac ſi præſens eſſet, ita enim maximè iuſti honeſtiq́ cura vigebit.* Cedat inquam hinc (neq́; verò tam ſalutarem illius improbo doctrinam, aut altiſſimo grauiſſimi viri contrauenio iudicio) etenim illuſtriora multò in factis vitâ functi, iſtius rei documenta, quam vllius ingenio (eſto ſapientiſſimus exiſtat) exprimi poſſint, animaduerto. Atq́; nihil dico intimè ſuo animo infixum fuiſſe illud: *Meditari mortem eſt meditari libertatem* : non commemoro frequentiſſimam & cogitationem & vocem eum habuiſſe:

Vixi & quem dederat curſum fortuna peregi,

Craſtinum ſi adiecerit D E V S, lætus recipiam : pectus mortale nunquam magis Diuinum eſſe, quàm dum mortalitatem ſuam cogitat, optimè nouerat: in hoc ſe natum hominem, vt vitâ defungeretur, non ignorabat: corpus hoc non eſſe corpus, ſed hoſpitium & quidem breue hoſpitium, quod relinquendum eſt, vbi te grauem eſſe hoſpiti videas perquàm intelligebat : Sed ego hæc & alia plurima pietatis ipſius exercitia atq́; documenta conſulto prætereo. Quid autem illa videntur ? iugis meditatio cœleſtium:

ſtium: in Vindicem humanæ ſalutis feruor: quid in ſuam Matrem, immaculatam; quia citra næuum originalis maculæ; Beatam, quia Deo dilectam; Sanctam, quia criminis omnis ignaram; incredibile ſtudium? quid in Diuos Tutelares, totamq́; cæleſtium Ordinum curiam, debitus diligentiſſimuſq; cultus? quid inquam hæc indicant? quam hoc vnicum Mæcenatem noſtrum vitâ functum meditatum fuiſſe, vt Beatorum rebus geſtis contemplandis abſorptus, præſentis vitæ periculis conſuleret: hoc eum egiſſe, & perfeciſſe, vt, (cùm non ignoraret, haud cuiquam certam diem, quid? quinimo horam, momentumq́; dari, quo ipſum omnibus fortunæ bonis ſpoliari, atq́; hac ipſa lucis vſurâ elementariq́; aurâ priuari oporteat) nihil admitteret, vnde non ſingulare ſpecimen vltimæ vitæ horæ, ſæpiùs in animo eius fuiſſe colligeremus. Nugæ profectò Ægyptiorum ὁ σκελετος: non multum à fabulis diſtant veterum Oſcilla: quibus fati recordationem in pectoribus ſuis excitabant: Perpetuo Mæcenati noſtro Magni Baſilij parænеſis illa obuerſabatur. *Circumſpice eos qui ante te in ſimilibus ſplendoribus magnæ exiſtimationis fuerunt. Vbi ſunt qui ciuiles potentias aſſumpſerunt? Vbi inexpugnabiles Rhetores? Vbi qui publicos conuentus conſtituerunt? Illuſtres Equites? exercituum Duces? Satrapæ? Tyranni? Nonnè omnia ſunt puluis? nonnè omnia fabula?* Sed hæc vel ignaris humanæ viciſſitudinis perſpicua. At enim intendamus oculorum aciem

ciem in Imaginem, Crucifixi Saluatoris Christi, in Basilica Cracouiensi, (vt sua alia præclara facinora, quibus facilius est principium, quàm exitum inuenire reticeam) ipsius non maiori liberalitate, quàm flagrantiore pietate exornatam: consideremus Iconem dolorosæ Virginis, ob necem dilecti sui Filij, eius Filij, qui mundi est productor, vindex, moderator, & conseruator; eius Filij, qui inauditâ misericordiâ perditum Adami genus, ex grauissimo seruitutis iugo, in desideratissimam libertatis auram euocauit; eius inquam Filij dolorosæ Matris & Virginis, Iconem ad Ædes Diui Francisci, & sumptuosè, & affabrè comparatam consideremus: Ascendamus iterum in domicilium Regum, & Præsulum Cathedram, quid illa magnificentia Tabernaculi Saluatoris? quid moles, quæ vel munificentiam Regum æmulatur? quid in Diuum Martyrem STANISLAVM pignora? Veniamus in hunc ipsum locum, quid suum flagrantissimum studium, DEI Castissimæq; VIRGINIS honorem, innocentum ore promoueri commemorem? Sic enim existimare debetis Innocentum animæ, nisi Perillustris Mæcenas ALBERTVS SEREBRYSKI Canonicus Cracouiensis vixisset; eam commoditatem, in salutari exercitio, eum prouentum in conficiendis, & expediendis huius loci negotijs, eum splendorē, quem diebus festiuis soletis cernere, non haberetis. Ille enim cœlestem illam animam

(Stanislaum Garwaski, virum de literis ac literatis, de Ecclesia, & de vestra in pietate disciplina meritissimum intelligo) consilijs suis, vt vos, suarum virtutum, & mirabilis illius feruoris, in DEVM, in intemeratam VIRGINEM, ac Beatos Cœlites, non successores modò, sed imitatores, sed hæredes inscriberet, perduxit. Ille peristromatis & Iconibus pulcherrimè depictis, ille argentea supellectili hunc locum ornatissimum haberi voluit. At alterius inquitis hæc? atqui ipsius curâ, & solicitudine, ipsius erga hunc locum singulari propensione, ista possidetis. Parùm hæc? intueamini hanc Immaculatæ VIRGINIS Imaginem, illius liberalitate vobis comparatam ac dedicatam: percenseatis etiam nunc pulcherrima vestro Oratorio adscripta ornamenta, quid hæc aliud censere debetis esse, quàm incredibilis illius erga vos amoris quosdam Arrabones? qui dum studium, vos innocentes omni pietate erudiendos, promouit; etiam ne quid ad commodius id præstandum desideraretur, sedulo curauit. O quàm præclarum & DEO gratum hoc eius in Innocentes pietatis argumentum! an non exitus comprobauit? dum etiam sacrâ die Diuis INNOCENTIBVS, de calamitate in felicitatem elatus: ipsorum festiuitatis octauâ die incidente, è diuersorio in domum translatus sit: & nunc ab Innocentibus hoc in Oratorio Iustis condecorari meruit? Triphonius & Agamedes,

medes, vbi primùm Delphis Apollini templum, præclaro artificio, exædificassent, venerantes Deum, petierunt mercedem non paruam quidem operis & laboris sui, nihil tamen certi, sed quod esset OPTIMVM homini. Quid nùm ægrè obtinuerunt? minimè; sed quid obtinuerunt? aurumné? facultatesné? an honores? an famam? Non hæc. Quid tandem? Vinculorum animæ à corpore, post eius diei tertium diem, vt operi supremam manum imposuissent, solutionem. O singulare de rebus bonis non hominis, sed Apollinis iudicium! Itaq; non miror Ferdinandum Nunnesium monumento suo inscribi mandauisse: OPTIMVM VITÆ MORS: at quin atrocem querelam Statij Iudicem, nequaquam possum apud me impetrare:

Quid probitas (ita ille) aut casta fides? quid numina prosunt
Culta Deum? furuæ miserum circum vndiq; lethi
Vallauere plagæ: tenuantur dura sororum
Litia, & exacti, superest pars vltima fili.

Mortem quereris ô ingeniose Vir? at fortunatissimus qui sine molestia, contemplatus res illas venerandas, mox rursum abijt, vnde venerat. Mortem quereris? audi facundiæ parentem; intelliges, nihil mali esse in morte: ausculta Diuinum Platonem, nonné hæc ille? *Moreris? transis non in mortem, sed in immortalitatem: non amißionem bonorum, sed in sinceriorem eorum perceptionem. Illuc enim ex hoc carcere solutus proficisceris, vbi requieta lætaq;*

 omnia

omnia, & nulla fatiſcentia, ſenecta. Scilicet obuerſabantur hæc, & alia innumera, Mæcenati noſtro, pietatis argumenta: his ille, & ad præſentium contemptum, & ad futurorum amorem, excitabatur, atq; inflammabatur: illorum non immemor, & religionem ſincerè colebat, & proximorum egeſtati liberaliſſimè ſuccurrebat: & Fanis Lociſq; ſacris exornandis mirificè ſtudebat. Quis enim ſacella erecta, altaria extructa, Eccleſias reparatas, & annuis cenſibus dotatas, vel complecteretur orando, vel percenſeret numerando? Et contendant multi piè vitâ functum, hunc tam generoſum ſpiritum, è natalium ſplendore hauſiſſe: non nego. Facit fidem inſigne familiæ, quo effuſam liberalitatem colligimus: confirmant Illuſtrium Maiorum ſuorum, varia documenta, quibus & Patriæ, & Eccleſiæ, & literis comparatum decus legimus. Cedunt nempè inſigni ſuo fontes ad Numitium famâ celeberrimi: defert illis primas Callirrhoe Athenienſium: Scaturigines in Delij Apollinis templo commendatæ, cum Mæcenatis noſtri fluminibus, in laudis ac celebritatis contentionem, ob incredibilia humano generi præſtita beneficia, venire non audent. At vtinam ipſius mentem noſtris ſenſibus perciperemus! Vtinam metam & ſcopum ad quem collineabat in animo legeremus! hoc, hoc, dico conſtanter, animaduerteremus.

Magna profectò vis magnumq́ monumentum poſitum eſt, ad bonum

bonum consequendum vitæ finem, nouißimorum meminisse: hæc est vna via, & laudis, & dignitatis, & virtutis, & honoris, omnia quæ cælitus homini concessa, pios in vsus, in leuamen oppressorum, in subsidium egenorum, in salutem proximi, erogauisse. Hæ sunt opes, quæ nec furem, nec prædonem timent, nec incendijs, ruinis, naufragijs obnoxiæ sunt, nec vllis deniq; casibus eripi possunt. Hi thesauri quibus in arduis expediti, in certamine faciles, securi in cancellis, felices in portu, consistimus: quamobrem nulla dies vacua sit (ita ille secum argumentabatur) qua his Ducem in aduersis, propugnatorem in periculosis, aduocatum apud communem omnium Iudicem, verbo omnia, amicum Dei in cælis terrisq; negligam comparare. O amorem cœlestium rerum Perillustris nostri Mæcenatis eximium! quo inflammatus non secus vt Heliotropium solem, vbi primùm ab incunabulis ortus sui, conspexit, totum per vitæ currentis diem, ita eas prosecutus est ad occasum, vt eò iam, non flores modò nobilium suarum virtutum retulerit; sed ipse Diuinæ Passionis suffragantibus meritis, translatus sit: atq; vt integritatis nitore, constantia in fide, certitudine in spe, feruore in DEI proximiq; charitate, inter alios Perillustres Viros insignis vixerit, ita nunc (vt piè credimus) Lauream illam, nullis linguis satis explicandam, nullo verborum apparatu, vel sententiarum grauitate satis debitè pro dignitate exornandam, Principis rerum omnium DEI, remuneratoris bonorum operum, Iustissimi, Optimi, Maximi, consecutus sit. Vsq; adeò vt non

incommodè illis Poëtæ delectetur verbis:

Et mihi fortunæ larga indulgentia suasit,
Numine adorato, vitæ abitum petere,
Ne fortunatæ spatium violabile vitæ,
Fati admorsu, stringeret vlla dies
Obtinui: auditæq́ preces, spem, vota, timorem,
Sopitus placido fine relinquo, alijs
Inter mærentes; sed non ego mæstus, amicos
Depositis iacui funeris arbitrijs.

Itaq; inexplebilis Lachesis, inanes tui conatus, irritæ insidiæ, quas tam pio, tam religionis Christianæ studioso, tantis monumentis virtutum claro, & æternùm memorando Viro struxisti: quem dum infirmitate tentaueris, robustum spiritu effecisti: dum solicitum doloris acerbitate fieri curaueris, ingentem bonæ mentis & amœnissimi gaudij cumulum, in eius pectusculo excitasti: dum peremptum iri posse putaueris, in maximam spem vitæ erexisti: paucis, dum illi violentas manus inieceris, eum è naufragio periculorum, tunc eripuisti; in portu, quem omnes fideles, hoc spatiosum mare nauigantes, anhelamus, statuisti: & auitæ libertati, benè tutæ securitati, quibusuis internodijs illecebrarum, aut fallaciarum labirynthis experti felicitati, reddidisti. Hanc illi nos fortunam, iugem, ipsius meritorum, recolentes memoriam, cùm animi beneuolentia comprecemur: si verò adhuc humanæ fragili-

fragilitatis ponit rationes, optatissimi voti, & certissimæ in misericordia Diuina spei, vt vel hoc ipso momento compos fiat, humillimè ac deuotissimè tremendam DEI Maiestatem deprecemur: illud frequentissimè ingeminantes:

Requiem æternam dona ei DOMINE, & lux perpetua luceat ei.